



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 3. Mores.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

ex meridie in boream progressi sunt; dicitur à vicinis populis *Sirfe*, à Turcis Saniacatus Semendriensis, & Rasciam includit, quæ à Razis populis nomen accepit, quos Chalcondylas cum Seruiis, & Sirfeis confudit: dicitur & à quibusdam *Segouia*.

N V M. 2. *Qualitas.*

MIRÆ fertilitatis est, sed maximè in campo Cassouico *Cassou-pole* ab indigenis, ab Germanis *Amelsfeld*, qui tribuitur aliquando Bulgaria, quam attingit. Regio quoque trans Danubium amœnissima, sed quæ Belgradam præcingit omnes Europæas amœnitate vincit.

N V M. 3. *Mores.*

LABORIS patientissimi sunt, quare his sæpe operis vitur Turca in bellis. Omnes agricolæ, omnes Piscatores: Ragusini soli merces suas distrahunt. Ritus Græcum sequuntur, sed in funeribus, seruant aliqua, quæ sapiunt Ethnicos: pauci sunt Latini ritus. Turcæ autem in pagis commorantur ad vias publicas.

N V M. 4. *Politia.*

OLIM Despoten habuit, cui paruit quoque Bosnia; quo cæso, Hungarus sibi vestigalem fecit; hinc à Turcâ occupata est, & per Beglierbegum administrata olim, cuius sedes Belgrada: sed promotis Imperij Turcici finibus, Beglierbegus Budam translatus legatum suum, vulgò *Caimacan*, reliquit Belgradæ, per quem Seruia regitur.

§ 6. *De Bulgaria.*

N V M. 1. *Nomen.*

NOMEN retinet à populis Bulgaris, qui à Volgâ Fl. dicti: alij tamen volunt esse reliquias Gepidarum, seu Getarum: Nicephorus Gregoras à Bulga Fl. horum nomen deriuat.

N V M. 2. *Qualitas.*

REGIO aspera est, & montibus editissimis ac niue diuturnâ obtectis tumet. Hic quoque pluuiæ frequentiores, ob paludes quibus interscissa est, vnde vapores erumpunt, qui ex frigore montium facillè se in imbres induunt. Armenta Boum, & Ouium greges facillè nutrit ob pascua.